

www.e-rara.ch

Epistola encyclica ad venerabilem clerum San-Gallensem

Walser, Iso

Typis Principalis Monasterii S. Galli, 1768

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-129844>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EPISTOLA
ENCYCLICA


AD

VENERABILEM CLERUM
SAN - GALLENSEM

Die 10. Octob. Anno 1768.



CUM LICENTIA SUPERIORUM.



Typis Principalis Monasterii S. GALLI.

ERSTO A

ENCYCLO

A

VENERABILEM CETERUM

277. GALLIENUS

Die 10. Octob. Anno 1763.



CUM LIBRIS SUPERIORUM



Die 10. Octob. Anno 1763.

CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI

S. R. I. PRINCIPIS ac DOMINI DOMINI

B E D Æ

ABBATIS EXEMPTORUM MONASTE-
RIORUM S. GALLI ET S. JOANNIS IN VALLE
THURÆ, COMITIS IN DOGBENBURG, REGII ORDINIS
B. VIRGINIS ANNUNTIATÆ EQUITIS, &c. &c.

Officialis in Spiritualibus generalis,

Venerabilibus DD. Decanis, Camerariis, Deputatis,
Parochis, Vicariis, Coadjutoribus, Sacellanis, & Pres-
byteris nostris salutem in Domino, & infra
scriptorum executionem.

Sanctissimus Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopus & Cardinalis Ca-
rolus Borromæus in Synodo Dicecesana II. Anno 1568. die 4. Au-
gusti celebrata, ad Clerum Mediolanensem insigni oratione ver-
ba faciens, non sine singulari gaudio exorsus est. „ Cum morum
„ tenebras, inquiebat, quibus non multis antè annis hujus & Civitatis
„ & Dicecesis facies circumfusa erat, aliquando mecum mente repero,
„ videoque hoc tempore, retrà illa vitiorum caligine tanquam disje-
„ cta, aliquam decoris speciem, Dei Opt. Max. beneficio, in hac no-
„ stra Mediolanensi Ecclesia elucere; est profectò aliquid, quod intima
„ animi pietate lætandum censeam; sunt enim (id quod ad excitandam
„ vestram pietatem libenti animo commemoro:) Dei templa aliquot in-
„ staurata, nonnulla item apparatu & ornatu instructa magis; erepti
„ præterea aliqua ex parte morum errores, prava consuetudine olim in-
tro-

troducti, & populus in umbra mortis sedens, revocatus ad aspiciendam aliquam lucem, jam frequentior in Dei altissimi templa convenit ad sacras conciones, ad lectiones, ad Divina officia, ad supplicationes, ad stationes, ad reliquas item actiones, christianæ pietati congruentes; & quod caput est, abjecta rerum sæcularium siti, sæpius quam antea consueverat, & religiosius ad omnis gratiæ fontem, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedit. Quæ Sanctissimo Præsuli materies gaudii fuit, eadem profectò nos recreat, dum omnem Cleri Sangalensis districtum, & Paræcias universas ante mentis nostræ oculos vocamus. Illa enim sollicita Sacerdotum cura, illa morum honestas, ille pro Divini honoris augmento Zelus, ille Religionis Catholicæ etiam inter infensos hostes ardor, illa in Divinis solertia, cujus animum oblectare non possit? At veluti S. Carolus illo Ecclesiæ Mediolanensis statu nondum contentus, ampliora in Clero suo, & meliora adhuc charismata cupiebat, atque in prædicta oratione requirebat; ita tanti Præsulis exemplum secuti, licet indigni, à vobis, Venerandi Sacerdotes, quin aliqua adhuc decora exigamus, prætermittere nec possumus, nec volumus. Et quidem

PRIMO: Cùm S. Chrysostomus *de Sacerdotio lib. 1. c. 3.* dicat: *Multa opus est Pastori prudentia, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis; ut recte undique humani animi statum circumspicere possit;* quanta vigilantia necessaria erit Pastori pro grege per villas disperso? Qui igitur curam animarum habet, velut Pastor ovium, solerter attendat necesse est, quid agant oves? ubi pascant? an nullæ à lupis insidiæ? siquæ à recta via deflectat, ac feraci pabulo posthabito sterilia loca depascat? an languescat nulla? an ægritudo nullam corripuerit? Quæ omnia sine frequenti visitatione fieri satis efficaciter non possunt. Sanè, sicuti S. Carolus Borromæus maximam vim posuit in continuis populi sibi subiecti visitationibus, quibus, ut *Vit. lib. 2. c. 8.* legitur, & charissimam sibi Ecclesiam illustravit, & palam ostendere suis æqualibus potuit, quantam vim ad sananda reipublicæ mala Principum oculi habeant; ita Sacerdotes curæ animarum præfecti sibi persuadeant, insignes fructus enasci ex continuis Parochiarum lustrationibus, quibus & pericula animarum deteguntur, & per opportuna monita vitia evelluntur. Unde Synodalia nostra *§. 2. n. 4.* Parochis præscribunt: *Curent quoque aedes, præsertim suspectas singulis annis semel iterumque visitare.* Obligationi ergò suæ minimè satisfaciunt illi Parochi, qui aut rarò, aut singulis annis semel tantum occasione schedarum Paschaliæ domus Parochiæ lustrant, aut perfunctoriè tantum, ac velut per transitum ad speciem id

muneris obeunt. Magnam hac in re solertiam, vigilantiamque à D. D. Parochis requirimus.

SECUNDO : *Omni tempore, inquit S. Carolus Borrom. instruct. de Visit. & Cur. infirm. Parochus gregi suo invigilare debet: sed cum primum aliquis ejus curæ commissus in morbum incidit, tunc maximè omnem Parochialis charitatis diligentiam ipse in eo ponet, ut ægotantem in via salutis rectè dirigat, & à nequissimi Dæmonis insidiis conatibusque tueatur, ac defendat præsidio salutarium adjumentorum.* - - Adjungit præterea: *Parochus non expectabit, dum ab ægro vocetur; sed ipse ultro ad illum veniet. Parochiales item suos & universè & sigillatim sæpenumero, prout occasio feret, hoc monebit; ut se accersant, cum primum aliquis in febrim morbumve inciderit. Denique: de ægri statu, genereque morbi, adversave valetudine perquiret, ejus item mores, vitam, actiones, negotiisque; ut sciat salubria dare consilia, opportunaque adhibere remedia, omnique sancta consolatione juvare.* Hæc Parochis præscribit S. Carolus; hæc ab iis exigit Pastoralis sollicitudo; quam non implent, qui non accedunt ægros nisi vocati; qui non prompto animo, sed tædio pleni veniunt; qui Ss. Sacramentis provisos derelinquunt, & mortis luctæ, & Diaboli insidiis, & inde æterni interitus periculo committunt. Verè crudelis negligentia, dicam an immisericordia, quæ animam sibi commissam deserit tum, cum maximè auxilio & solatio eget, hoc est, cum in extremo salutis periculo constituta est. Nulla est in eo charitas, qui novit ægrum cum morte luctari, Diaboli tentationibus oppugnari, morbi doloribus confici, & non accurrit, nec orationibus Ecclesiæ, nec consolatione sublevat. Sed, inquiunt, provisos est omnibus Ss. Sacramentis. Quid inde? num discrimen salutis superavit? num donum impeccabilitatis accepit? Diabolus accurrit ad tentandum, & Parochus non veniat ad muniendum? Quid si pereat anima, quæ non perjisset Parocho confortante, absolvente, consolante?

TERTIO : Sapientissimè in Synodo Rosacena §. 2. n. 3. decretum fuit, Ludimagistros in omnibus Parochiis constituendos. Scholæ Catholicæ res sunt summi momenti. In illis juvenus & litteris, & fidei dogmatibus, & bonis moribus imbuitur; inde communitates & idoneos viros ad negotia publica, & familiæ aptiores ad œconomiam homines, & Ecclesiæ probos Christianos accipiunt. Idcirco in primis sæculis tanta fuit Ecclesiæ cura pro scholis Christianorum, ut doctissimos etiam viros illis præficeret. Et novum Ecclesiæ Sanctum Deus providit Scholarum Piarum fundatorem S. Josephum à Calasancio, anno abhinc à

summa Sede Sanctorum Catalogo adscriptum, qui teneram juventutem, pauperem etiam, à sui instituti hominibus in primis elementis instrui ordinavit. Maxima proinde cura adhibenda est, ut Scholæ aut constituantur, aut jam constitutæ, ritè & cum plurimo fructu obeantur. Id munus planè præ cæteris incumbit DD. Parochis, quibus per Decreta non semel inculcata fuit frequens *Visitatio scholarum*, ut & Ludimagistri officio suo benè fungantur, & pueri ac puellæ diligenter instituantur. Et quoniam ab hac Parochorum inspectione dependet emolumentum Scholarum, eandem ipsis enixè commendamus, quin & præcipimus. Singulis septimanis visitandæ sunt Scholæ, profectusque Juventutis explorandus; falluntur porrò DD. Parochi, qui hanc curam in locis, ubi sunt, solis DD. Sacellanis impositam credunt. Parochiale munus est cura scholæ, à qua exempti non sunt Parochi; etsi DD. Sacellani eò etiam operam suam conferre debeant.

QUARTO: Quæ in Synodalibus Rosac. §. 1. n. 2. Eminentissimus COELESTINUS I. providè constituit de ponderanda vocatione ad statum Sacerdotalem, tanti sunt momenti, unde sanè dependeat & Disciplina Ecclesiastica Clericorum, & salus animarum. Præscribitur iis, qui ad statum Sacerdotalem & curam Pastoralem aspirant, ne ex motivis temporalibus, vanisque respectibus ad Sanctuarium ingrediantur, sed antecedenter cum suis Pastoribus spiritualibus consilia conferant, an idonei, & à Deo vocati sint ad statum Clericalem: Porro si matura hæc deliberatio negligatur, & adolescentes sine prævio consilio ad studia litterarum, ad altiores etiam disciplinas cæco modo sine attentione ad ingenii capacitatem à parentibus applicentur, quid mirum, quòd post plures annos studiorum compareant subiecta, quibus ob detestam scientiæ, & aliarum qualitarum Cura animarum tutâ conscientia vix ac ne vix quidem committi possit? Causa mali est, quòd captum studiorum cursum deferere nolint, urgentibus parentibus aut agnatis, qui aut ex sæculari motivo, aut aliis respectibus inducti, familiam suam Sacerdotali dignitate illustrare volunt. Sic itaque ad Sacerdotium veniunt, qui illud administrare non possunt. Quamobrem RR. DD. Parochorum industriam requirimus, ut singuli in Parochiis suis invigilent, & prudenter attendant, ne ad studia applicentur, qui ob ingenii duritiem, aut aliis ex circumstantiis spem securam non faciunt, quod ferendis clericalibus oneribus maximè idonei & pares futuri sint. Hæc providentia Pastoralis officio incumbit, ne parentes harumce rerum imperiti fallantur, aut grave sibi onus imponant, dum Sacerdotes hujusmodi, ad curam animarum non adhibendos, impenis suis alere tenebuntur; legatur hac de re S. Chry.

Chrysoſtomus de Sacerdot. lib. 4. c. 2. Cui tam multarum animarum cura credenda ſit, is non prius ſe ipſum examinabit, quin potiùs, vel omnium imperitiſſimus, munus ipſum ſuſcipiet? & infra: Quam ob rem ſit, ut de militia, de mercatura, de agricultura, caterarumque ad humanum victum pertinentium rerum ratione deliberatio ineunda cum ſit, neque agricola navigationem, neque miles agriculturam, neque gubernator militiam ſuſcipiat? nempe propterea, quod illorum unusquiſque proſpicit fore, ut periculum ſibi ab imperitia artis incognite immineat. Itane ergo, ubi modicis in rebus periclitamur, tanta ipſi utimur providentia: Ubi verò æternum illos manet ſupplicium, qui Sacerdotii adminiſtrationem juſtè præſtare nescierint, temerè atque, ut caſus tulerit, in tantum nos conjiciemus periculum? hætenus S. Chryſoſt. l. cit. Sollicitè ergò conſiderandum, an ij, qui ad Sacerdotium aspirant, apti ſint ad tam ſublime miniſterium? ne cum S. Gregorio M. l. 1. homil. 17. n. 3, ſuſpirandum ſit: Ecce mundus Sacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale ſuſcepimus, ſed opus Officii non implemus.

QUINTO: Quanta, & quàm neceſſaria ſit Sacerdotibus ſcientia, egregiè declaratur in Synodalibus noſtris ſ. 1. n. 10. Cui Decreto Venerabiles DD. Curati ſatisfacere vi ſtatùs & officii tenentur. Tam ampla eſt materia, in qua verſatos eſſe oportet animarum Curatores, ſeu tanquam Divini verbi Præcones, ſeu veluti Judices in ſacro tribunali, ſeu ut Gubernatores ac Rectores populi ſibi commiſſi, ut ſine perpetuo ſtudio officio ſuo eoſdem deeſſe planè neceſſe ſit. Audiamus de hac re S. Carolum Borromæum in Oratione, quam in Synodo Diceceſana II. habuit, ad Clericos ſuos ita differentem: „ Quod attinet ad ſtudium Ss. „ Litterarum, nos, quantum in nobis fuit, nihil pene non egimus, ut „ vos eruditos haberemus. - - At verò quæ in hoc genere diligentia à „ vobis adhibita ſit, res ipſa oſtendit. Non poſſum non ſummopere „ veſtram multorum, qui aſteſtis, aliquam in ſtudiis laudare progreſſionem; ſed plerique eſtis, qui nullo ſtudio accenſi; non ſponte ſed coactè ad Lectiones & ad litterarum tractationem, quam in Sacerdotalibus „ Conventibus haberi decrevimus, convenitis, ſæpèque animo non attento aſteſtis: quo ſit, ut vel nullos vel exiguos progreſſus ad eam „ cognitionem habeatis, quæ veſtri Ordinis hominibus neceſſaria eſt. - - „ Proponite primùm vobis ob oculos ſtatus veſtri conditionem: Eccleſiaſtici Ordinis homines eſtis. Quòd ſi in Chriſtianis omnibus ſtudium „ aliquod, cœleſtiùmque rerum ſcientia quædam neceſſaria eſt; quanto „ magis in vobis, è quorum ore populus ſcientiam requirit? Jam verò ex iis, quæ ſuprà commemoravimus, audiviſtis, ad vos pertinere „ Ver,

„ Verbi prædicationem ; id quo tandem modo fiet , si minùs studia co-
 „ litis ? Vestrum est , fidelium mentes Christianæ fidei mysteriis & divi-
 „ næ legis præceptis instruere ; qua sanè ratione fiet , neglectis studiis ?
 „ Vestrum est , Sacramentorum vim & usum explicare ; quo id pacto
 „ fiet , neglectis studiis ? Vestrum est conscientiæ casus cognoscere ;
 „ quonam modo fiet neglectis studiis ? an non fidelium mentes ad cælestium
 „ rerum cognitionem erigere vos convenit ? an non à terrenis abducere ?
 „ an non populum à malè agendo detertere ? an non eundem ad vir-
 „ tutes , inprimis verò ad Dei proximique charitatem inflammare oportet ?
 „ Docendum vobis sæpe est , quod sit proprium uniuscujusque of-
 „ ficium , patris , filii , viri , uxoris , Domini , servi , & reliquorum de-
 „ nique cujusvis ætatis & ordinis hominum . Has Officii vestri partes
 „ prætermittere , vel deferere sine maxima vestra culpa non potestis ;
 „ quod tamen sæpè committitur imperitiâ atque ignoratione earum re-
 „ rum , quas vestrum est nosse . Excitate igitur vos ad eam Doctrinam ,
 „ quam Ordinis vestri dignitas deposcit : quod ut faciatis , Spiritus san-
 „ cti voces per Paulum Apostolum vos incitant : *Attendite Lectioni ,*
 „ *Exhortationi , & Doctrinæ .* - Videte igitur , quid in hoc genere præ-
 „ standum vobis est , hocque diligentius propterea sacrarum litterarum
 „ studium colite , quod usque adeò complecti debetis , ut contra eum ,
 „ qui aspernetur , dicat Dominus : *Quia tu scientiam repulisti , & ego repel-*
 „ *lam te , ne Sacerdotio fungaris mihi .* , Ita ad verbum D. Carolus l. cit.
 Quibus nihil addendum , nisi quod Sacerdotes nostros enixè obtestemur ,
 ne de sua scientia præsumant adeò , ut studium sibi amplius haud necessa-
 rium esse credant . Aut enim in Cura animarum jam diu versantur : &
 copia sciendorum memoriam perpetuo studio seu excitari seu roborari re-
 quirunt . Aut juvenes sunt , primùm ex Lyceis ad curam animarum vo-
 cati : & certum est , eos adhuc multa ignorare , tum ob negligentiam in
 studio studiorum sæpè occurrentem , tum ob defectum praxeos , quæ
 præter theoriam magistra est optima . Itaque si conferentiæ theologi-
 cæ , in multis Diocesisibus præscriptæ , ob distantiam locorum institui
 non possint , saltem domi quisque suæ quotidie singuli aliquas horas
 fixas studio Theologico & Ss. Litterarum impendant ; quod con-
 sultius esset , quàm vanos libros , Philosophicos , Mithologicos , &
 hujusmodi lectitare .

SEXTO : Licèt in Synodo Rosacena §. 4. n. 1. dispositum sit :
 ut Clerici nostri sacros Ritus & ceremonias accuratè observent in Divi-
 nis Officiis , multi tamen defectus hoc in puncto continuò norantur . Sanè
 Majestati summorum Mysteriorum contrarium est , obiter , perfunctoriè ,
 luri-

luridè, & absque debita tantis rebus modestia Sacra tractare. Utinam Sacerdotes ea animi sensa perpetuò nutrent in tractatione Sacrorum, quæ S. Carolus Borromæus in Clericis suis excitare & fovere conatus est. De hoc D. Caroli studio egregiè scribit Joannes Petrus Glussianus *de fama, virtutibus, & Miracul. S. Carol. Borrom. Lib. 1. cap. 9.* Quo teste Sanctissimus Archiepiscopus ad restituendos Sacrorum ritus præfertim animum strenuè adjecit; *præsens ipse*, inquit Glussianus *l. cit. Clerum erudiens, ne in tenuissimis ritibus laberetur, solertissimè providebat.* & infra: *Ne ad posteros transmittenda rituum elegantia, & sanctitas ulla ratione defloresceret*, propriam *Rituum Congregationem* Mediolani ex sapientissimis viris constituit, quorum solertia Ss. Ritus perpetuò vigerent. Quare Sacris Ministris sacrorum Rituum decor, & in iis uniformitas juxta S. Ecclesiæ Decreta, & Rituale ab Ordinario Nostro præscriptum, præprimis commendata esse debet.

SEPTIMO: Sanctissima à Christo tradita sententia est: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Deo debemus supremum cultum, maximè diebus Festis, cultui Divino singulariter consecratis. De eo BENEDICTUS XIV. Pont. Max. luculenter agit in Bulla anno 1745. edita, quæ incipit: *Ab eo tempore. Bullar. Tom. I. constitut. 144.* in qua Mercatus omnes diebus Festis severè prohibentur, non solum publici, sed etiam clausis Apothecarum foribus, & non obstante quacunque consuetudine contraria etiam immemoriali; uti pariter decisum fuit à Congreg. Card. Concil. Trident. Anno 1711. 2. Maii in causa *Ripana Mercatus.* et in alia *Barcinon. observat. Festor.* Anno 1669. die 12. Maii. Memorat supra laudatus Pontifex *l. cit. §. 17.* responsum, quod S. Nicolaus I. ad Consultationes Bulgarorum dedit: *Sanè*, inquit, *sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere humano cessandum est, ut liberiùs ad Ecclesiam ire, psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, elemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.* Hoc spiritu imbuens S. Carolus Borromæus dierum Festorum honorem accerrimè vindicavit. De eo scribit *cit. Glussianus lib. 1. c. 9.* » Cum nimia, ait, pompa, & » pompam sequentes convivales apparatus primum inaugurati Sacerdotis diem celebriorem antea efficerent; & recurrente Festo ejus Sancti die, cujus templa nomine gloriabantur, profana in atriis inducta spectacula, *prostantes merces*, & conquesta gulæ irritamenta cerneret; solemnes *hujusmodi dies majori Religione*, piisque exercitationibus consecravit. » Apertius adhuc, quid Carolus de Festorum dierum sanctitate senserit, demonstrat epistola, quam anno 1578. die 24. Sept. scri-

scripsit ad Episcopum Intimiliensem: - De me quæris, inquit, num jure puniri possint, qui fidibus, aliòve quovis instrumento festis diebus sonant in tripudiis. In hac quidem Diœcesi contra istos homines agi solet; atque aded sives postulat, illis Ecclesiæ ingressu interdicitur, cum propter eam, quam scribis causam: nempe quod iis diebus, qui Deo dicati sunt, sacrisque rerum officiis consecrati, operam suam certa mercede locant; tum verò quoddam hujusmodi opere alios homines à Divinarum rerum cultu, studioque avocant; indèque tanquam ex seminario plurimorum malorum, multa Dei offensiones, morum corruptelæ, flagitiâque oriri solent. Quæ omnia quisquis cum moderni sæculi moribus comparat, meritò ingemiscit, ob perpetuas dierum Festorum profanationes. Quid enim hoc sæculo frequentius, quàm emptiones, contractus, mercatus speciem habentes, etiam ante portas Sanctuarii, h. e. præ foribus Ecclesiarum; quibus sanè ex Theologorum, & Ss. Canonum interpretum sententia Festis diebus honor debitus detrahatur. Multa jam consilia digessimus, ut huic malo occurreretur. Nunc operam Concionatorum & Catechistarum requirimus, ut contra abusus hujusmodi in concionibus & doctrinæ christianæ explicationibus unanimi proposito fortiter agant; & universim efficaciter urgeant, ut Festi dies majori religione colantur. Sanè in Synodalibus nostris jam interdictæ sunt hujusmodi corruptelæ. Nam §. 4. n. 4. prohibentur primis mensium Dominicis nuptiæ & publicæ Computationes. n. 7. Festis diebus & Dominicis non permittuntur Venationes. n. 8. Nullus Caupo officio divino durante cibum, potumque apponere, nec mercatores merces suas exponere permittuntur. Prohibentur labores molitoribus, pistoribus, lanionibus, fullonibus, piscatoribus &c. Quare sollicitudinis Pastoralis est, eo omni conatu incumbere ut dies Festi insigni pietate divino cultui impendantur; quem in finem præscriptæ sunt Conciones & Catecheses singulis Dominicis & Festis habendæ.

Concludimus denique verbis S. Caroli Borrom. in orat. in Synod. Diœces. II. Hac igitur, venerandi Sacerdotes, dignitatem scilicet, officium, & onus vestrum, sæpè animis vestris cogitantes, Zeloque zelati pro salute vestra, & gregis item, omni studio pietatem in Deum, & charitatem in proximos amplectamini, - Et omni virtute & Fide reliquis hominibus præluceatis.

Dat. in S. Galli Monasterio
die 10. Octob. 1768.



P. Iso Walser

Officialis in Spiritualibus
Generalis.